Fragmentarium

dum carnem a lasciuia refrenamus. et membra uitiis
mortificamus: consequenter septiformis spiritus sancti dona
maiora percipimus. Fons ortorum puteus aquarum uiuentium
Verumque ecclesia est. Et fons ortorum quia spiritales fructus
producit. Et puteus aquarum uiuentium propter occulta myste
ria que sanctis per reuelationem spiritus sancti solis panduntur.
Aquarum uiuentium propter eloquia diuina que de inuisibilibus di
uine gratie procedunt thesauris. Que fluunt impetu de li
bano. De ipsa ecclesia dicit que et candida est per munditiam
fidei et alta per uirtutum gloriam. Surge aquilo et ueni auster.
perfla ortum meum. In aquilone enim aduersa mundi: in austro
blandimenta signantur. quia gemina expugnatione probatur ecclesia.
Consurge primitiuus uox est. non imperantis. Et fluant aro
mata illius. i. uirtutum constantia. miro odore dispergat.
Veniat dilectus meus in ortum suum. et comedat fructus .V.
pomorum suorum. Veni in ortum meum soror mea sponsa. messui
myrram meam cum aromatibus meis. Comedi fauum
cum melle meo. bibi uinum meum cum lacte meo. In fa
uo et uino predicatores. in melle et lacte auditores intelliguntur.
Et utrosque approbat iudex interius et remunerat. Comedi
te amici mei. ~~et inebr~~ bibite et inebriamini karissimi. Amici faci
endo que precipio. karissimi me integra caritate amplectendo
et ideo obsecro ita factis sanctorum quasi epulis precipuis corda
uestra repleri. Ego dormio. quasi donante gratia dei in pace
presentis uite eum colo. Et cor meum uigilat. Quo enim tran
quillius ab externis incursibus uaco. et altius intus quanta sit

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 94.2, 13r – Aelredus Rievallensis, Compendium speculi caritatis; Alcuinus, Compendium in cantica canticorum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-it7i/5150/49304)